



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Oratione ad Deum, cap. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

rūt, in resurrectionē iudicij. Et Paulus, Colof.  
I. Vt ambuletis digne Deo per omnia placētes,  
in omni tempore, opere bono fructificātes, &c.

## De Oratione ad Deum.

### CAP. IX.

#### VISITATOR.

*In lib. Vifi.* **D**ebent hīc Pastores & Concionatores ad-  
monere populum ad orandum. Impletio  
enim huius mandati secundi, est orare, hoc  
est Deum pro auxilio in nostris tentationibus  
implorare. Debent itaque docere homines;  
quid sit oratio, & quomodo orandum sit. Pri-  
mū igitur docere debent, Deum præcepisse,  
vt oretur. Idcirco, sicut grande peccatum est  
homicidium, sic peccatum quoque est, nihil  
*In 500, art. à Deo rogare aut petere. E C C L E.* At nos  
*art. 39.* suprā iam diximus, orando quoque peccare  
*In assertio- iustum: Iuxta illud Psal. 108. Et oratio eius*  
*ne art. 32.* fiat in peccatum. **S V E R.** Et nos opus bo-  
*Ad Senatū Pragens.* num vel optimè factum, peccatum esse dixi-  
mus. **B A R R.** Sextum officium sacerdotum  
est, orare pro aliis: Christianis autē omnibus suis  
Christianis orationem illam dominicam tra-  
didit. Qua sola satis abundē probare & confir-  
mare possumus, sacerdotium esse vnū & com-  
mune omnibus. Rursū, Papistarum sacerdo-  
tium esse merum mendacium, extra Ecclesiam  
Dei repertum: Quia maxime hinc sacerdotes

volunt, quòd pro laicis Christianis orant, imo hic est Dagon illorum, & Deus vnicus vètris illorum. M A R. Bona verba quæso, Barraba, Sacerdotes enim, & Ecclesiastici Missam quotidie celebrant, omni hora orant, sèque in verbo dei exercent studendo, legendo, audiendo. Quocirca, & præ aliis priuilegium habèt, à laboribus exempti, censibus donati, omnémque diem feriatum agunt, ad nullum astricti laborem. BARR. Sed quàm iusta est vindicta Dei in istos abominabiles oratores: Ecce dū soli volunt esse, qui pro populo orent facti sunt, mirabili consilio dei, nò nisi pictæ quædam orantium imagines. Quis est enim in vniuerso numero tot Collegiorum, Monasteriorum, Beneficiatorum qui oret? Verba quidem orationum in labiis voluunt, & sicut Dauid putant se habere vasa cantici, vt Amos ait, verum tumultum esse carminum ipse diffinit, qui dixit: Populus iste me labiis honorat, cor autem eorum longè est a me. M A R. Quando sacerdotes & Cœnobitæ, ex mera obedientia cantant & orant, in hoc orandi modo obedientia est longè optima, perinde atque aliæ corporeæ functiones ex obedientia profectæ. Quinimò, tam ineffabilis gratia est in verbo Dei, vt illud ipsum ore duntaxat, & sine attentione, ex obediendi tamè studio, prolatum, frugifera & Diaboli cruciatrix censeatur oratio. B A R R. Audiamus itaq; hîc Christum iudicem & diffinitorem in hac cau-

*In lib. de bonis operibus ad ducem Sax. Iohan.*

*Ad Senatū Pragm.*

*Amos 6.*

*Esa. 29.*

*Matt. 15.*

*In explanatione Patris nostri.*

*Vbi supra.*

DE ORATIONE AD DEVM

*Ad Senatū.  
Pragen.  
Iohan. 4.*

fa. Deus (ait) spiritus est, & qui adorare vult, in spiritu & veritate adorare oportet. Hac diffinitiva sentētia maiestatis stante, stamus & nos confidenter, ac plena fiducia decernimus auctoritate diuina, Papam cum suis Papistis habere quidem singulare sacerdotium, singularēque orandi officium præ omnibus Christianis, sed quo neque sacerdotes, neque oratores sed larvæ & idola sint sacerdotum & orato-

*Vbi supra.  
in explana.  
P.ater noster*

rum. M A R. Profunt tamen non mediocriter ipsa verba cum audiuntur, ad hoc vt occasio ex his desumatur cogitandi, ac recte orandi. Nemo igitur intentioni cordis sui in tantum cōfidat, vt absque verbis velit orare, nisi probe exercitatus in spiritu sit. Nec tamen ipse vocalem orationem reiicio, aut verba præcaria, sed nec quisquam reiicere debet, imò cum gratitudine magna suscipere, sicut grande munus Dei. S V E R. Si non esses oblitus, Martine, X I I. facierū Antichristi Romani, quas ego ex Daniele commemorauī, scires vtique, quòd sexta ex illis, nō vna, sed facierum quædam sylua est, scilicet eorū, quæ in tēplis sunt & geruntur, quæstus & lucri prosperrima negotia. Hic boantur, aut murmurantur horæ Canonice ingenti labore, sic tamen vt nunquam orentur. Additæ sunt voces, cantus infiniti generis & varietatis: Nam & organa

*In lib cōtra  
Ambro.  
Catha.*

vniversaque Musica huic faciei seruiunt. B A R R. Stat ergo irrefragabilis sententia, sacerdotes visibiles, & à laicis diuersos, in no-

*In lib. de  
Abrogan-  
da missa.*

Stat ergo irrefragabilis sententia, sacerdotes visibiles, & à laicis diuersos, in no-

uo Testamento nullos esse posse: Qui autem sunt, sine testimonio scripturarum, sineque vocatione Dei esse. Hoc quid est aliud quam ex Diabolo esse? M A R. At Christus docet nos orare pro vniuersis Prælatiſ spiritualibus, præcipuè pro illis, quorum interest verbum dei impertire nobis. Quod tamen eiſdem nõ conceditur, niſi nos & digni ſimus, & ob id Deum orauerimus. E C C L E. Stultum proſectò eſt, confidere nos ſuper aliorum opera & fidem, ac dicere, quòd Moniales, Monachi, & Presbyteri ſuis canticis, quæ noctu in Monasteriis exercent, poſſint alios homines iuuare, & ſuum theſaurum ita diſtribuere. M A R. Quod ſtultum eſt Deo, ſapientius eſt hominibus: Certe ex lege charitatis quilibet pro quo libet orare tenetur. Et Apoſtolus ait, Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legẽ Chriſti. Etenim ſunt fraternitates, in quibus ſibi communicant ſua ſtudia, & opera tam maiores, quàm minores prælati. Item monaſteria & ordines & Hoſpitalia & Parochiæ: Id enim non poteſt verum intelligi, niſi quòd tali modo vnus opus pro altero ſatisfacit, ſuffragatur & glorificat Deum. V I S I. Quicquid dixerint Suermeri, Chriſtus certe Luc. xvij. & in aliis plerisque locis præcipit orate, Id quod Parochi populo proponere debent: Deinde iudicare, quòd Deus promiſit quoque exaudire nos. Matth. vij. & Lucæ. xj. Petite,

*In Expla-  
natione Pa-  
ter noſter.*

*In 500. art.  
art. 83.*

*In Sermo-  
ne de ſurdo  
& muto.*

*In Reſolu.  
Conclu. 26.*

*Gala. 6.*

*In. lib. Vig-  
ta.*

DE ORATIONE AD DEVM

& dabitur vobis. Tali promissioni confidere oportet, ac neutiquam dubitare, quia Deus exaudiat orationem nostram, sicut ait Christus. Marci xj. **D O C T.** Hæc melius ædificant in populo, quàm dicta illa Suermerica. Oratio enim speciale exercitium est fidei, quæ certissime sic acceptam facit orationem, vt vel ea petitio impleatur, vel aliquid melius pro ea detur. Sic & Iacobus ait, Qui postulat aliquid a Deo, in fide non hæsitet: Qui autem hæsitat, non existimet homo ille quòd accipiat aliquid à domino. **LVT.** Quid orando frustrà obtunditis aures Dei? Neque enim deus aliter cum hominibus vnquã egit aut agit, quàm verbo promissionis. Rursus, nec nos cum Deo vnquàm agere aliter possumus, quàm fide in verbum promissionis eius. Opera ille nihil curat, nec eis indiget. **V I S I T A.** Hypocritas quidem & impœnitentes non exaudit Deus, de quibus Psal. xvij. dicitur, Clamauerunt, & non erat adiutor. Qui autem pœnitēt, propter peccata absterreri ab oratione nō debent, quia Deus non vult desperationem, sed fidē: quòd nos exaudiat & adiuuet. **LVT.** Si liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua cogitare quippiam mali aut boni, sed omnia (vt Vviclephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta veniunt. Quid frustrà oramus Deum, qui vltro, & bona & mala operatur, in nobis? **V I S I T.**

*In lib. de bonis operibus*

*Iaco. 5.*

*In Cap. Babilonia, ca. de Eucharistia*

*In lib. Visi.*

*In Assertione art. 36.*

Impia dicis & absurda: Nam & liberum arbitrium habemus, & Deum orare debemus, non solum pro æternis bonis, sed etiam pro temporalibus necessitatibus nostris, vti supra dictum est.

COCLÆVS.

Habuisti ne vnquam (Illustriss. Prin.) vlla de re tam diuersa atque etiã contraria somnia, quàm habet hïc de re seria, nempe de oratione ad Deum, Lutherus? Quis, rogo, Poëtarum vnquam de re vna tam repugnantia scripsit figmenta? Quæ aniles fabulæ tam longe varièque dissentiunt inter sese? O præclarum igitur Euãgelistam, Prophetã, & Apostolum Saxonie! Quo nulla est meretrix inconstantior, nullus mimus in re quamlibet ludicri lenior, nullus Pseudopropheta vanior, nullus Suermerus mutabilior, nec vllus Turca ad Deum orandum irreligiosior. Quid mirum igitur, si populi tui pertã varia & contraria monstrosi huius cuculli scripta, non solum in oratione ad Deum, sed etiam in omni pietate & opere bono frigidi, dubiique ac reprobi facti sunt? Quis tandem erit dubitationum finis, si in re tam seria atque ad salutem animæ tam necessaria, tam diuersis ex vno eodémque ore sententijs variare impunè licet? Quod si puerum aliquem in